

sequentiam non sentiunt, & utraq; quod dicitur, manu non palpant. Et tamen ex hac parenthesi tam putidam & purulenram suspensionem fugit hic Censor, quasi Remonstr: cum ita loquuntur, *Blasphemia affines sint, & credant librorum V. T. veritatem non posse suis & in eis proprijs notisq; indubitatis adseri ac stabiliri.* Aliud est, non posse id fieri, aliud non necesse esse ut id fiat: Hoc dixerunt Remonstr: Istud ne cogitarunt quidē: Ambagibus opus non esse dixerunt, ubi compendio ire licet: Et, non necesse esse ut fiat per plura, quod potest fieri per pauciora.

Affinis huic est, quæ in eadem Sectione occurrit, imperitia, Vocat in suspensionem Socinianismi Remonstrantes Censor, quia Formula hac usi sunt in declaratione sua: *Quod Dominus noster Jesus Christus, in carne manifestatus, sit doctrinae N. T. primus author.* Ex eo, inquit intelligi potest quid sentiant. Nimirum nec Spir. S. nec Patrem Ecclesie V. T. doctrinam illam per os Prophetarum revelasse. Mirabile Doctoris huius acumen est. Quid si quis vicissim concludat, Censorem hunc credere, non necesse adedq; superfluum fuisse ut Christus à Patre mitteretur ad doctrinam Evangelij hominibus annuncian- dum? Nam, si Pater eandem doctrinam Ecclesie V. T. per Spiritum Propheticum patefecit, quid necesse erat ab eo Christum in mundum mitti, ut eam ipsius nomine doceret ac patefaceret? Hic scio distinctionem ad manū statim habebit Censor pro more suo, sed pudet huiusmodi distinctionum & consequentiarum. Unum tantū dicam. Si Censor consequentiam suam valere vult, necesse est ut ea ipsa gravet Spiritum Dei sanctum, cuius hæc pænè ipsissima est oratio; Ad heb. ii. 3. *Etenim, si per Angelos dictus sermo, fuit firmus, & omnis transgressio ac contumacia, justam mercedis retributionem retulit, Quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? ἢ τις ἀρχὴ λαβῆσα λαλεῖσαι διὰ τῆς κρείττης, id est, quæ principium sumsit à Domino Iesu eam prædicante: Ovum ovo vix similius est. (ut Censoris verbo utar) quam hæc oratio orationi Remonstrantium; Ergo, si hæc oratio Sociniana est, Socinianus etiam fuit Scriptor ad Hebræos. Neq; vero hic excipere licet: Scriptorem hunc, Christum vocare primum authorem, sive prædicatorem magnæ huius Evangelicæ salutis, in ordine ad Apostolos, qui ipsum secuti postea sunt: disertè enim respicit ad sermonem, qui per Angelos fuit prædicatus sive dictus sub V. T. & salutem, quam primus Christus prædicavit, quam etiam vocat tantam, ut ejus neglectus aut contemptus majori multò supplicio dignus sit censendus, quam neglectus aut contemptus*

Ostenditur in
juria cenferi
Declarationē,
quod J. Christi-
tum primum
doctrinæ N. T.
autorem vo-
cet.

temtus